Gallis insubribꝫ et his accolis alpi
um· animi ferarū corpora plusq̄m
humana erant· sed experimēto dep̄hensū
est· Quippe sicut p̄mus impetus eis ma
ior q̄ virorū est· ita sequēs minor q̄ femi
narū· Alpina corpa humenti celo educa
ta habent quiddā simile cū niuibꝫ suis
que mox vt caluere pugna· stati in sudo
re eunt et leui motu q̄si sole laxant̄· Hij
sepe et aliās· ſꝫ brito maro duce nō pri
us soluturos se baltea q̄ capitoliū ascē
dissēt iurauerāt Factū ē· Victos em̄ emi
lius in capitolio discīxit· mox arioiusto
duce vouē de nr̄oꝝ militū p̄da marti suo
torquē· Intercepit iupiter votū· Nā de tor
quibꝫ eoꝝ aureū tropheū ioui flamini9
erexit· viridomaro r̄ge rōna arma vul
cano promiserant· Aliorsum vota cecide
runt· Occiso enim rege marcellus terci
a post romulū patrem feretrio ioui ar
ma suspendit

Illirici seu liburni sub extremis al
piū radicibꝫ agūt inē arsiā ticiūqꝫ
flumē· longissiē p totū adriani maris li
tus effusi· Hij regnāte teutana muliere
populacōibꝫ nō cōtēti· licēcie scelus addi
derūt· legatos quippe nr̄os ob ea q̄ deli
querāt iure agētes· nec gladio q̄dē ſꝫ vt
victimas securi percuciunt· p̄fcōs nauiū ig
ne ꝯburūt· Idqꝫ quo indigni9 foret· mu
lier impabat· Itaqꝫ gneo centimalo du
ce late domāt̄· Strictē in pricipū colla se
curēs legatoꝝ manibꝫ litauere·

Post p̄mū punicū bellū vix q̄driēnij
reqēs· ecce alteꝝ bellū min9 quidē
spacō nec em̄ āpli9 q̄ decē et octo annos
hꝫ· ſꝫ adeo cladiū atrocitate terribilius·
vt si quis cōferat dāpna vtriusqꝫ p̄pli si
milior victo sit victor populus qui vicit·
Pudebat nobilem populum ablatū ma
re· rapte insule· dare tributa· que iubere
consueuerat· Hinc in vlcionē puer hani
bal ad aram patri iurauerat· nec remo
rabatur· Igit̄ in causa belli saguntus de
leta est· vetus hispanie ciuitas et opulē
ta· fideiqꝫ erga romanos magnū quidē
sed triste monimentū· Quam in libertā
tem cōmuni federe exceptā hanibal cau
sam nouoꝝ motuū querens et suis et ip
sorū manibus euertit· vt ytaliā sibi rup
to federe aperiret· Sūma federū romanis
religio ē· Itaqꝫ ad auditū socie ciuitatis
obsidiū· memores icti cū penis quoqꝫ fe
deris· nō statim ad arma procurrunt dū
prius more legittimo queri malunt· In
terim iam nouē m̄sibꝫ fessi· fame· machi
nis· ferro· versa deniqꝫ in rabiem fide· in
manē in foro excitant rogū· Tum desup
se suosqꝫ cum omnibus opibus suis
ferro et igni corrumpunt· Huius tante
cladis hanibal autor poscitur· tergiuer
santibus penis· Dux legacionis que in
quit mora est fabius· In hoc ego sinu
bellum pacemqꝫ porto· vtꝝ eligitis· Huc
clamantibus bellum· Bellum igitur in
quit accipite· Et excusso in mediam curi
am toge gremio· non sine horrore quasi
plano sinu bellum ferret effudit· Si
milis exitus belli inicio fuit· Nam quasi
has inferias sibi saguntinorū vltime di
re in illo publico parricidio incendioqꝫ
mandassent· ita manibus eorum· vasta
tione ytalie· captiuitate africe· ducum et
regum· qui id gessere bellum exicio pa
rentatum ē· Igitur vbi semel se in hispa
nia mouit illa grauis et luctuosa punici
belli vis atqꝫ tempestas· destinatumqꝫ
romanis iam diu fulmen· igne sagunti
no conflauit· statim quodam impetu rup
ta· medias perfregit alpes· et in ytaliā
ab illis fabulose altitudinis niuibus ve
lut celo missa descendit· Ac primi quidē
impetus turbo inter padum atqꝫ ticinū
valido statim fragore detonuit Tunc sci
pione duce fusus exercitus· saucius
eciam ipse in manus hostium venisset

impator· nisi ꝓtectū patrē ꝑtextatus ad
modū fili9 ab ipa morte rapuisset· Hic
erat scipio qui in exiciū africe crescit· no
men ex malis eius habiturus · Ticino
trebia succedit· Hic secunda punica belli
procella deseuit· sempronio ꝯsule· Tūc cal
lidissimi hostes frigidū et niualem nacti
diē cū se ignibus prius oleoqꝫ fouissent
horribile dictu· homines a meridie et so
le venientes nrā nos hieme vicerūt· Tra
simenius lacus· terciū fulmē hānibalis
impatore flamminio· ibi quoqꝫ ars no
ua punice fraudis· Quippe nebula lac9·
palustribusqꝫ virgultis tectus eques
terga subito pugnanciū inuasit· Nec de
dijs possumus queri· Imminentem quip
pe temerario duci cladem predixerāt insi
dencia signis examina· et aquile prodire
nolentes· et cōmissam aciem secutus in
gens terre tremor· nisi illum horrorem
soli equitum virorūqꝫ discursus· et mo
ta vehemencius arma fecerunt· Quartū
id est pene vltīm vuln9 impij cāne igno
bilis apulie vicus· sed magnitudine cla
dis emersit· et quadraginta milium cede
parta nobilitas ē· Ibi in exiciū infelicis
exercitus· dux· terra· celum· dies· tota
rerum natura consensit· Siquidem non
contentus simulatis trāsfugis hānibal
qui mox terga pugnanciū ceciderunt in
sup callidissimus imperator in patenti
bus cāpis obseruato loci ingenio· ꝙ et
sol ibi acerrimus et plurim9 puluis· et
eurus ab oriente semp q̄i ad constitutū·
ita instruxit aciem· vt romanis adūsus
hec omnia aduersis quasi secundū celū
tenens· vento· puluere· sole pugnaret·
Itaqꝫ duo maximi exercitus cesi ad ho
stiū saciatatē donec hānibal diceret mili
ti suo· parce ferro· ducū effugit alt̄· alter
occisus est· dubium vter maiore animo
Paulū puduit· varro desperauit· Docu
menta cladis cruētus aliquādiu anfid9
Pons de cadaueribꝫ iussu ducis factus ī
torrēte vergelli· Modij duo anulorꝫ car
taginem missi· dignitasqꝫ equestris tax

ata mensura· dubiumqꝫ deinde nōn erat
quin vltimū illum diem habitura fuerit
roma· quintūqꝫ intra diē epulari hanni
bal in capitolio potuerit· Siquidem ꝑ
nū illum dixisse adherbalem bemilcaris
ferunt· hānibal si quēadmodū sciret vin
cere sic vti victoria scisset· Tū quidem il
lum et dici vulgo solet aut fatum vrbis
impature· aut ipius mens mala· et aūsi
a cartagine dij in diuersū abstulerunt·
cum victoria posset vti· frui maluit· Reli
ctaqꝫ roma campaniam tarētumqꝫ per
agrare· vbi mox et ipse et exercitus ar
dore languit adeo· vt verum dictum sit·
Capuam hānibali cānas fuisse· Siqui
dem inuictum alpibus · indomitū armis
campanie· quis credet· soles et tepentes
fontibus baie subegerūt· Interī r̄spirat̄
romanus· et quasi ab inferis emergere·
arma non erant· detracta sunt templis·
deerat iuuentus· in sacramentum milias
liberata seruicia· egebat erarium· spes
suas libens senatus in medium protulit
Nec preter quod in bullis singulisqꝫ a
nulis erat quidq̄m sibi auari reliquerūt
Eques secutus exemplum· imitateqꝫ e
quitem tribus· Deniqꝫ· vix suffecere ta
bule· vix scribarum man9· Leuino mar
celloqꝫ consulibus cum priuate opes in
publicum deferrētur· Quid autem in eli
gendis magistratibus· que centuriarū
sapiencia· cum iuniores a senioribus cō
silium de creandis consulibus petiuerūt
Quippe aduersus hostem tociens victo
rem tam callidum non virtute tantum
sed suis eciam consilijs pugnare oporte
bat· Prima redeuntis sed vt sic dixerim
reuiuiscentis impij spes fabius fuit· q̄
nouam de hanibale victoriam cōmenta
tus ē· non pugnare· Hinc illi cognomen
nouū· et reipublice salutare· cunctator Hic
illd ex ꝑplō vt ipij scutū vocaret̄ Itaqꝫ ꝑ
samniū totū· ꝑ falernos· gaurāōsqꝫ sal
t9· sic maceauit haibalē vt q̄ frāgi ūtu
te nō poterat mora cōminuet̄ In claudio
marcello duce eciam cōgredi ausus est·

Cominus venit· et pepulit a campania·
et ab obsidione nole urbis excussit· aus9
et sempronio gracco duce per lucaniam
sequi· et premere terga cedentis· Quis tūc
o pudor seruili manu pugnaret· Nā huc
usqz tot mala cōpulerāt· sed libertate do
nati fecerāt de seruitute romanos· O hor
ribilem in tot aduersis fiduciā· o singu
larē animū ac spiritum populi romani
tam artis aff lictū rebus· cum de ytalia
sua dubitaret· ausus tamen est in diuer
sa respicere· Cūqz hostes in iugulo per
cāpaniā apuliāqz uolitarent mediamqz
de ytalia africam facerent· eodē tempore
et hūc sustinebat· et in siciliam hispaniā
sardiniam· diuisa per orbem terrarū ar
ma mittebat· sicilia mandata marcello
Nec diu restitit· Tota enim insula in v
na urbe superata est· Grande illud et āte
id tempus inuictū caput· Siracuse q̄m
uis archimedis ingeīo defenderetur ali
quando cesserunt Longe illi triplex mu
rus· totidemqz arces· portus ille marmo
reus et fons celebratus arethuse· nisi q
hactenus pfuē· vt pulchritudini victe ur
bis parceret· Sardiniam graccus arri
puit· Nichil illi gencium feritas insanorū
qz· Nā sic vocant· immanitas moncium p
fuere· Seuitū in urbes· urbemqz urbiū
caralim vt gens cōtumax vilisqz morti
saltem desiderio patrij soli domaret· In
hispaniā missi gneus et publi9 scipioēs
spē totā penis eripuerūt· Sed insidijs
punice fraudis oppressi rursus amiserāt
Magnis quidem illi prelijs cū punicas
opes cecidissent· sed punice insidie alter
ferro castra metantem· alterum cum eua
sisset in turrim cinctum facibus oppressē
runt· Igitur in ulcionem patris ac pā
trui missus cum exercitu scipio· cui tam
grande de africa nomen fata decreuerāt·
bellatricem illam viris armisqz nobilē
hispaniam· illam seminarium hostilis
exercitus· illam hannibalis eruditricem
incredibile dictu· totam a pireneis mō
tibus in herculis columnas et occeanū
recuperauit· Nescias citi9 an felici9 Quā
velocit̄ q̄tuor āni fatēt quā felicī ter vel v
na ciuitas pbat· Eodē quippe q̄ obsessa est
die capta ē· omeqz africane victorie fuit·
q tā facile victa ē hispana cartago· Cer
tū ē tn̄ ad pfligādā punicā maxime pfe
cisse singularem ducis sanctitatē· Quip
pe qui captiuos pueros puellasqz pre
cipue pulchritudinis barbaris restitue
rit· nec in cōspectū quidem suum passus
adduci· ne quid de virginitatis integrita
te delibasse saltem vel oculis videretur·
Hec inter diuersa terrarum populus ro
manus· nec ideo tamē ytalie visceribus
inherentem sūmouere poterat hanniba
lem· pluraqz ad hostem defecerāt· et dux
acerrimus contra romanos ytalicis q̄z
viribus vtebatur· Iam tamen eum pleis
qz opidis et regionibz excusseram9· Ta
rentus ad nos redierat· Iā et capua se
des et domus et patria altera hānibalis
tenebat· cuius amissio tātū peno duci do
lorē dedit· vt ille totis viribz romā ꝯuerte
ret· O pplm̄ dignū oī fauore et admiratī
one hoīm ac deorū· Cōpulsus ad ultiōs
met9 ab īcepto nō destitit· et de sua urbe
sollicitus capuā tn̄ non obmisit· sed par
te exercitus sub appio consule relicta· p
te flaccū in urbe secuta absens simul pre
sensqz pugnabat· Quid ergo miramur
mouenti castra a tercio lapide hanniba
li· iterū ipos deos· deos inq̄m· nec fateri
pudebit· restitisse· Tanta enim ad singu
los illius motus vis imbriū effusa· tan
ta ventorū violencia coorta est· ut diuini
tus hostem sūmoueri· nec celo sed ab ur
bis ipius meibz ī capitolio ferri videret
Itaqz fugit et cessit et in ultim se ytalie
recepit sinū· cū urbe tātū nō adoratā re
liqss̄z Parua res dcū s̄ ad magnanimi
tatē ppli rōni pbādā satis efficax· q il
lis ipis q̄bz obsidebat diebz ager quē hā
nibal castris īsederat venalis rome fuit·
hasteqz subiect9 inueit emptorē· Voluit
hānibal ꝯt fiduciā imitari· subiecitqz ar
gētarias urbi tabnas· nec sector inuēt9

vt sciās etiā p̄sagia satis fuisse. Nichil
actū erat tāta virtute tāto fauore deoꝝ.
Siquidē hasdrubal hānibalis frater ex
ercitu nouo nouis viribꝫ. noua belli mo
le veniebat. Actū erat ꝓcul dubio si vir
ille se cū fratre iunxisset. Sed hunc quo
qz castrametantem claudius nero cum
liuio salinatore debellat. Nemo in vltāo
angulo ytalie sūmouebat hānibalem.
liuius in diuersissimā partē id est in ip
sas nascentis ytalie fauces signa cōuer
terat. tāto id est omni qua longissima y
talia solo interiacēte. Quo consilio. qua
celeritate. ꝯsules castra cōiūxerīt. inopi
nāterqz hostē collatis signis ꝯp̄ssernt.
neqz id fieri hānibal senseit difficile dictū
ē. Certe hānibal re cogita cū ꝓiectū fris
caput ad sua castra vidisset agnosco in
quit infelicitatē cartagis. Hec fuit illius
viri nō sine p̄sagio q̄dā fati iminētis pri
ma ꝯfessio. Jā certū erat hānibalē etiā
ipi9 ꝯfessiōe posse vici. Sꝫ tot reꝝ ꝓspe
raꝝ fiducia plen9 ppl's rōn9 mag:: esti
mabat asperrimū hostē in sua africa de
bellarē. Duce igit̄ scipiōe i ip̄az africā tō
mole ꝯūsus. imitai cepit hānibalē. ⁊ ita
lie suē clades i africā vidicat̄. Quas ille
dij boni hasdrubalis copias. q̄s syfacis
exercitus fudit. q̄ quātaqz vtriusqz castra
facibꝫ illatis vna nocte deleuit. Deniqz
iā nō a tercō lapide sꝫ ip̄as cartagis por
tas obsidiōe q̄tiebat. Sic factū ē vt ihe
rētē atꝫ iciūbētē ytalie extorq̄ret hāniba
lē. Nō fuit maior sub ipio rōno dies q̄
ille. cū duo oīm et an̄ et postea ducū cla
rissimi duces. ille ytalie. ille hispanie vi
ctor. collatis comin9 signis direxere aciē
ē Sꝫ ⁊ colloq̄ū fuit int̄ ip̄os de legibꝫ pa
cis. Steterūt diu mutua admiracōne de
fixi. Vbi de pace non conuenit signa cecī
nere. Constat vtriusqz confessione nec
melius instrui aciem. nec acrius potuisse
pugnari. Hec scipio de hānibale. hāni
bal de scipionis exercitu predicauerunt
Sed tamē hānibal cessit. p̄miū victorie
africa fuit ⁊ secut9 africā statī t̄raꝝ orbis



Ost cartāginē vinci neminem pu
duit. Secute sunt statī africā gē
tes. macedonia. grecia. syria. ceteraqz
oīa quodā quasi estu et torrēte fortune.
Sed primi oīum macedones affectator
imperij populus. Jtaqz q̄uis tūc philip
pus regno p̄sideret. romani tn̄ dimicare
sibi cū rege allexādro videbant̄. Macedo
nicū bellum nomine amplius q̄ spectacō
ne gentis fuit. Causa belli cepit a federe
philippi. quo rex iam pridem dominantē
in ytalia hānibalem. sibi sociauerat Po
stea creuit implorantibus athenis aux
ilium cōtra regis iniurias. cū ille vltra
ius victorie in tēpla. aras. ⁊ sepulchra
ip̄a seuiret. placuit senatui opē ferre tā
tis supplicibus. Quippe iam gencium re
ges duces populi nacōnes presidia sibi
ab hac vrbe petebant. Primo igitur leui
no consule populus romanus ioniū ma
re ingressus tota grecie litora veluti tri
umphanti classe pagrauit. Spolia q̄p
pe sicilie sardinie hispanie. africe preferre
bat. et manifestā victoriā nata in preto
ria puppe laurus pollicebat̄. Aderat spō
te in auxiliū attalus rex pergamenoꝝ.
Aderant rhodij nauticus popul9. quibꝫ
a mari cōsul a terris oīa equis virisqz
quaciebat. Bis victus rex. bis exutus.
bis fugatus castris. cū tamē nichil terri
bilius macedonibus fuit ip̄o vulnerum
aspectu. que non spiculis non sagittis.
nec vllo greculo ferro sꝫ ingētibꝫ pilis.
nec minoribꝫ adacta gladijs. vltra mor
tē petebāt. Enīuero flaīnio duce inuios
antea achaonū mōtes. niduūqz amnē ꝑ
abrupta vadētē ⁊ ip̄a macedōie claustra
penetrauī9. Introisse victoria fuit. Nam
nūq̄m postea congredi. rex ad tumulos
quos cynocephalas vocant. vno. ac ne
hoc quidem iusto prelio opprimitur. Et
illi quidem consul pacem dedit. regnum
qz concessit. Mox ne quid esset hostile.
thebas et euboeam et grassantem sum
ma vi de suo lacedemoniā ꝯpescuit. Gre
cie vero veterē statū reddidit vt legibus

viueret ſuis·et auita libertate frueret᷑·
Que gaudia·q̄ vociferacōes fuerūt·cum
hic nemee ī theatro quīquēnalibꝫ ludis
a p̄cone caneret᷑·quo certauere plauſu·
Quid florū in cōſulē ꝓfuderunt·et iteꝛū
iterūqꝫ p̄conē repetere illā vocē iubebant
qua libertas achaie ꝓnūciabat᷑·Nec ali
ter illa cōſulari ſentēcia q̄ꝫ modulatiſſiō
aliquo tibiarū aut fidiū cātu fruebant᷑·
Macedoniā ſtatim et regē philippū
antiochus excepit quodā caſu q̄ſi
induſtria ſic aggubernante fortuna·vt
queādmodū ab africa in europā·ſic ab
europa in aſiā vltro ſe ſuggerētibꝫ cau
ſis ipiū ꝓcederet·Et cū terrarꝫ orbis ſi
tu ipe victoriarꝫ ordo nauigaret·n̄ aliud
formidoloſi9 fama bellū fuit·Quippe cū ꝑ
ſas et oriētē xerxem atqꝫ dariū cogita
rēt·qn̄ ꝑfoſſi iuīj montes·qn̄ velis optū
mare nūciaret᷑·Ad hec celeſtes mine ter
ritabāt·cū humore cōtinuo cuman9 apol
lo ſudaret·Hꝫ hic fauētis aſie ſue numi
nis timor erat·Nec ſane viris opibꝫ ar
mis quidq̄ꝫ copioſi9 ſiria·ꝫ in mā9 tam
ignaui regis inciderat·vt nichil fuerit in
antiocho ſpecioſi9 q̄ꝫ q̄ꝫ a rōmis vict9 ē·
Impulere regē in id bellū·Thoas etholie
prīceps ihonoratā apd rōnos q̄rēs ad
uerſus macedonas militie ſue ſocietatē
Hinc hānibal qui in africa vict9 ꝓfu
g9·et pacis ipaciēs hoſtē ꝑplō rōno toto
orbe q̄rebat·Et qd illud fuiſſꝫ piculū ſi
ſe cōſilijs eius rex tradidiſſꝫ·Id ē ſi aſie
viribꝫ vſus fuiſſꝫ miſer hānibal·Hꝫ rex
ſuis opibꝫ et noīe regio fretus ſatis ha
buit bellū moue·Europa iā dubio ꝓul
iure ad romaōs ꝑtinebat Hic liſimachi
am vrbem ī litore thracio poſitā a maio
ribus ſuis antiochus vt hereditario iu
re repoſcebat·Hoc velut ſidere aſiatici bel
li mota tēpeſtas·et maximus regum cō
tentus fortiter indixiſſe bellum·cum in
genti ſtrepitu ac tumultu mouiſſet ex a
ſia·occupatis ſtatim inſulis·grecieqꝫ li
toribus·ocia et luxus tanq̄ꝫ victor agi
tabat·Euboeam inſulam continenti ad
herentem tenui freto reciproctantibus
aquis euripus abſcidit·Hic ille poſitis
aureis ſericiſqꝫ tentorijs·ſub ipo freti
murmure cū int᷑ fluenta tibijs fidibuſqꝫ
cōcineret·collatis vndiqꝫ q̄ꝫuis ꝑ hyemē
roſis·ne nō aliquo ducem genere agere
videretur·virginū puerorūqꝫ delect9 ha
bebat·Talem ergo regem iam ſua lux
uria debellatū populus romanus acilio
glabrione conſule in inſula aggreſſus
ipo ſtatī aduēt9 ſui nūcio coegit ab inſu
la fugere·Tū p̄cipitē apd t̄mophilas aſſe
cut9 locū·trecētorꝫ laconū ſpecioſa ſede
meōrādū ne ibi q̄dē fiducia loci reſiſtētē·
mari ac t̄ra recedere coegit·Statī et ex veſti
gio it᷑ ī ſiriā·Claſſis regia polixenidi ha
nibali qꝫ ꝯmiſſa·Nā rex ꝑliū nec ſpecta
re poterat·Igitur duce emilio regillo ad
remigātibus rhodijs tota laceratur·Ne
ſibi placeant athene ī antiochio vicim9
xerzem·In emilio alcibiadem equauim9
epheſijs ſalamina penſauimus·Tum cō
ſule ſcipione cui fr̄ ille modo victor carta
ginis african9 volūtaria legacōe aderat
debellari regē placet·Et iā toto ceſſaret
mari·ꝫ nos im9 vlterius·Meādrꝫ ad am
nē mōtēqꝫ ſipilū caſtra ponūt᷑·Hic rex·
incredibile dcū·q̄bꝫ auxilijs q̄bꝫ copijs
cōſederat·trecenta milia peditū·equitū
falcatorūqꝫ curruū nō minor nūs·elephā
tis ad hoc imēſe magnitudinis auro purpu
ra argēto et ſuo ebore fulgētibꝫ·aciē vtrī
qꝫ vallauerat·ꝫ hec oīa p̄pedita magnitu
dine ſua·adhuc imbre·q̄ ſubito ſupfuſus
mira facilitate ꝑſicos arcus corrupcrat·
Primū trepidacō·mox fuga·dehic triū
ph9 fuerit·Victo et ſupplici pacē atqꝫ ꝑtē
regni dari placuit·eo liberi9 q̄ꝫ tam faci
le ceſſiſſet·

VIII

Syriatico bello ſucceſſit vt debebat
etholicū·Victo q̄ppe rōn9 ātiocho
faces aſiatici belli ꝑſeq̄bat᷑ Ergo fuluio
nobiliori mādata vlcō ē·Hic ꝓti9 caput
gētis ābrachiā regiā pirrhi machinis q̄
tit·ſecuta dedicō ē·Aderāt etholorꝫ p̄cibꝫ
attici rodij et meinēa9 auxilij ſic placuis

ignoscere. serpsit tn̄ latius in proximos
bellū. oēmqz late cephaleniam iacynton
et quicquid insularū in eo mari inter ce
raunios mōtes iugūqz maleū etholici
belli accessio fuerūt. ij

Histri sequūt etholos. quippe bellā
tes eos nuper adiuuerant. Initia
pugne prospera hosti fuerūt eademqz ex
icij causa. Nā cum gnei maulij castra ce
pissēt. optimeqz prede incubarent epulā
tes ac ludibundos plerosqz. ac vbi essēt
pre poculis nescientes. appius pulcher i
uadit. Hic cum sanguine et spiritu ma
le partam reuomuere victoriam. Ipse
rex appulo equo impositus cum sub inde
crapula et capitis errore lapsaret. cap
tū sese vix et egre postq̄m experrectus ē.
didicit. v

Gallogrecia quoqz siriatici belli rui
nā ꝯuoluit. Fuerant inter auxilia
regis antiochi an fuissent. an cupidus
triumphi maulius eos visos simulauerit
dubiū ē. Certe negatus est victori triū
phus. quia causam belli non approbauit
Ceterū gens gallegrecorū sicut ipsū no
men indicio est. mixta. et adulterate reli
quie gallorū. qui brenno duce vastaue
rant greciam. in orientem secuti in media
asie parte sederunt. Itaqz vt frugū semi
na mutato solo degenerant. sic illa genu
ina feritas eorū. asiatica amenitate mol
lita est. Duobz itaqz p̄lijs fusi fugatiqz
sūt q̄uis sub aduentu hostis. relictis se
dibus. in altissimos se mōtes recepissēt
solo stologiorū recto sagaciam īsederāt.
vtriqz fundis sagittisqz acti. in ppetuā
se pacē dediderunt. Sed alligati miracu
lo quodā fuere cum cathenas morsibus
et ore temptassēt cum offocādas inuicē
fauces prebuissent. Nam orgiagontis
regis vxor a centurione stuprum passa.
memorabili exemplo custodiam euasit.
reuulsumqz militis caput ad maritum
suum retulit. vj

Dum alie atqz gentes syriatici bel
li sequūtur ruinam. macedonia
se rursus erexit fortissimū populum me
moria et recordacio sue nobilitatis agi
tabat. Et successerat philippo filius per
ses. qui semel imperpetuum victam esse
macedoniam nō putabat. ex gentis dig
nitate multa vehemencius sub hoc mace
dones q̄ sub patrē consurgunt. quippe
tracas in vires suas traxerant. atqz ita
industriam macedonum viribus thracū.
ferociam thracum. disciplina macedonū
temperauerunt. Accessit his consilium
ducis qui situm regionum suarum sum
mo speculatus hemo. positis per abrup
ta castris. ita macedoniam suam armis
ferroqz vallauerat vt non reliquisse adi
tum nisi a celo venturis hostibus videre
tur. Nam marcio philippo consule eam
prouinciam ingressus populus romanus
exploratis diligenter accessibus p astū
dam paludem. per acerbos dubiosqz tu
mulos. illa que volucribus quoqz videbā
tur inuia accessit. regēqz securū et nichil
tale metuentem subita belli eruptione
terruit. cuius tanta trepidacō fuit vt pe
cuniam omnem in mare iusserit mergi
ne periret. classem cremari ne insidere
tur. Paulo consule cū maiora et crebra
essent imposita presidia per alias vias
macedonia deprensa est. summa quidem
arte et industria ducis cum alias emina
tus alias irrepsisset. Cuius aduentus
ipse adeo terribilis regi fuit vt interes
se non auderet sed gerenda ducibus bel
la mandauerit. Absens ergo victus fu
git in maria insulamqz samothracem.
fretus celebri religione. quasi templa
et are possent defendere quem nec mōtes
sui nec arma potuissent. Nemo regum
diucius amisse fortune conscienciam reti
nuit. Supplex cū scriberet ad imperato
rem ab illo quo confugerat templo. no
menqz epistole notaret suū regē addidit
Sed nec reuerencior capte maiestatis
alius paulo fuit Cū in conspectū venissz
hostis in templum recepit. et conuiuijs
adhibuit. liberosqz admonuit suos vt

fortunā cui tantū liceret reuererentur·
Inter pulcherrimos hūc quoqʒ populus
romanus de macedonia duxit ac vidit
triūphū·quippe cuius spectaculo triduū
impleuit Primꝰ dies signa tabulasqʒ·
sequens·arma pecunias trāsuexit·terci
us·captiuos ipmqʒ rēgē attonitū adhuc
tanq̄ subito malo stupentē·Sed multo
prius gaudium victorie pplūs romanus
q̄m epistolis victoris precepit·Quippe
eodem die quo victus est perses in mace
donia·rome cognitum est·Duo iuuenes
candidis equis apd iuturne lacum pul
uerem et cruorem abluebant·Hij nūcia
uere castorem et pollucē fuisse creditum
vulgo ꝙ gemini fuissent·interfuisse bel
lo ꝙ sanguine maderent·a macedonia
venire ꝙ adhuc anhelarent· XII

Macedonici belli contagio traxit illi
ricos·Ipi quidē vt romanos a ter
go distīgerēt a pse rege ꝯducti pecunia
militauerāt·Sꝫ mora ab anicō ptoē sub
igūt·lescordā caput gentis delesse fuisse
cit·Statī secuta dedicō ē·Deniqʒ hoc bel
lū añ finitū ē q̄ gerī rome nūciaretur· XIII

Quodam fato quasi ita cōuenisset
inter penos et macedonas vt tercō
quoqʒ vincerentur·eodem tēpore vtriqʒ
arma mouerunt·Sed iugū excutit ma
cedo·aliquanto q̄ ante grauior·dum cō
temnitur·Causa belli prope erubescen
da·quippe regnū pariter et bellū vir vl
time sortis ādriscus inuaserat·dubium·
liber an seruus·mercennarius certe·sꝫ
quia ex vulgo philippus similitudīe phi
lippi pseudophilippus vocabat·regiam
formam·regiū nomen·animo quoqʒ re
gio impleuit·Igit dum hec ipa cōtemp
nit pplūs romanus iuuencio pretore cō
tentus·vix nō macedonicis modo sꝫ thra
cie quoqʒ auxilijs ingentibus validum
temere tentauit·inuictusqʒ·nō a veris
regibus sed ab illo ymaginario et sceni
co rege superatur·Sed consule metello
amissum cum legione pretorem plenissi
me vltus ē·Nā et macedoniā seruitute
multauit·et ducē belli deditū ab eo ad
quē confugerat thracie regulo·in vrbā
in cathenis reduxit·Hoc quoqʒ illi in
malis indulgēte fortuna·vt de eo pplūs
romanus q̄i de rege vero triūpharet XIIII

Tercīū cū affrica bellum et tempore
exiguū·Nam quadriennio peractū
est et in cōparacione priorꝫ minimū labore
Non enī tam cū viris q̄ cū ipa vrbe pug
natū ē·sꝫ plane maximū euentu·Quippe
tandē cartago finita ē·atqʒ si quis triū
tēporū momenta cōsideret·pmo cōmissū
bellū·profligatū scdo·tercō vero cōfectū
ē·Sed huiꝰ causa belli·q̄ cōtra federis
legem adūsus numidas quidē semel pa
rasset classem et exercitū·frequens autē
massinisse fines territabat·Sed huic
bono socioqʒ regi fauebatur·cū bellū sede
ret de belli fine tractatū est·Catho inex
piabili odio delendā esse cartaginē et cū
de alio consulerēt pnunciabat·scipio nasi
ca fuandā·ne metu ablato emule vrbis
luxuriari felicitas vrbis īcipet·Mediū se
natus elegit·vt vrbs tātū loco moueret
Nichil enī speciosiꝰ videbat q̄ esse carta
ginē q̄ nō timeret·Igit manilio censori
noqʒ cōsulibꝫ pplūs romanꝰ aggressus
cartaginē spe pacis iniecta traditā a vo
lētibꝫ classē sub ipo ore vrbis incendit·
Tūc euocatis pricipibꝫ si salui esse vellēt
vt migrarēt finibꝫ īpatū·Qd pro rei a
trocitate adeo mouit iras vt extrēa mal
lēt·Cōploratū igit publice statī et pari
voce clamatū ē·ad arma·seditqʒ sīna q̄
quo mō rebellādū·nō ꝙ iā spes vlla su
peresset·sꝫ quia patriā suā mallēt hosti
um q̄ suis manibꝫ euerti·Qui rebellāci
um fuerit furor vel hic intelligi potest·ꝙ
in vsū noue classis tecta domusqʒ resci
derūt·In armorꝫ officinas aurꝫ et argen
tū p ere ferroqʒ ꝯflatū ē·In tormentorū
vincula matrone crines suos cōtulerunt·
Mancio manilio deinde cōsule terra mariqʒ
feruebat obsidio·opis portꝰ nudatꝰ·et
primus et sequens iam et tercius murꝰ
cum tamen birsa quod nomen arci fuit

quasi altera ciuitas resistebat q̄uis ꝓ
fligato vrbis excidio tamē fatale nomē
scipionū videbatᷓ· Igitᷓ in aliū scipionē cō
uersa respublica finem belli reposcebat
Hunc paulo macedonico ꝓcreatū africa
ni illius magni filius in decus gentis as
sūpserat· hoc scʒ fato vt quā vrbem cōcus
serat auus· nepos eius euerteret· Sʒ q̄
maxime mortiferi esse morsus soleant
morienciū bestiarū· sic plus negocij fuit
cū semiruta cartagine q̄ integra Com
pulsis in vnā arcē hostibus portū quo
qʒ maris romanus obsederat· Illi alterꝝ
ibi portū ab alia vrbis pte foderūt· Nec
vt fugerēt sed ꝙ nemo illos nec euadere
posse credebat· inde q̄i enata subito clas
sis erupit· Cum inte ī iā diebʒ iā nocti
bus noua aliqua moles· noua machīa·
noua pditorꝝ hoīm manꝰ· q̄i ex obruto in
cendio subita de cineribʒ flāma ꝓdibat·
Deploratis nouissime rebʒ· xl· se milia
virorꝝ dediderūt· qꝺ minus credas duce
hasdrubale· q̄nto forcior femina et vxor
ducis· que cōprēsis duobʒ liberis a culmi
ne se domꝰ in mediū misit incendiū· imi
tata reginā que cartaginē ꝯdidit· Quā
ta vrbs deleta sit· vt de ceteris taceā vel
ignīū mora ꝓbari potest· qnippe ꝑ ꝯtinu
os xvij dies vix potuit incēdiū extingui·
qꝺ domibus ac tēplis suis spōte hostes
immiserāt· vt quatenꝰ vrbs eripi roma
nis nō poterat triūphus arderet· XV
Vasi seculū illud euersionis vrbiū
curreret ita cartaginis ruinā sta
tim corīthus excepit· achaie caput· gre
cie decus inter duo maria ioniū et egeū q̄si
spectaculo exposita· Hec o facinꝰ idignū
anī oppressa ē q̄ in numerꝝ certorꝝ hosti
um referretur· Critolaus causa belli q̄
libertate a romanis data adūsus ipos
vsus est· legatosqʒ romanos· dubiū an
et manu certe oracōne violauit· Igitur
metello ordināti tū maxime macedoniā
mādata ē vlcio Et hinc achaicū bellū ac
ꝑmā critolai manū metellus consul per
patētes elide cāpos toto cecidit alpheo·

et vno ꝑlio peractum erat bellum· Iam
et vrbem ipam terrebat obsidio· Sed o
fata rerū cū metellus dimicassʒ ad victo
riam mūmius venit· Hic alterius ducis
dignitate exercitū sub ipis hyschmi fau
cibʒ fudit· geiosqʒ portus sanguiē īfecit
Cū ab incolis deserta ciuitas· direpta ꝑ
mū· deinde tuba ꝑcinēte deleta est· Quid
signorū· quid vestiū· quidue tabalarum
raptū incēsū atqʒ porrectū ē· Quātas o
pes et abstulerit et cremauerit hic scias
q̄ quicq̄d corīthij eris toto orbe laudatᷓ
incēdio supfuisse cōperimus· Nā et eris
notā preciosiorē ipa opulentissime vrbis
fecit iniuria· quia incendio ꝑmixtis plu
mis statuis atqʒ simulacris· eris auri
argentiqʒ vene in cōe fluxerunt· XVI
Et cartaginē corinthus· ita corin
thum numancia secuta est· Nec de
inde in orbe toto quidq̄m intactum ar
mis fuit· Post illa duo clarissima vrbiū
incendia late atqʒ passim· nec ꝑ vices
sed simul pariter quasi vnū vndiqʒ bellū
fuit· prorsus vt ille vrbes quasi agitāti
bus ventis diffudisse quedā belli incen
dia toto orbe viderentur· Hispanie nūq̄
animus fuit· aduersus nos vniuerse cō
surgere· Nūq̄ conferre vires suas libu
it· nec aut impiū experiri· aut libertatē
tueri suam publice· Alioquin ita vndi
qʒ mari pireneoqʒ vallata est· vt ingeni
o situs nec adiri quidem potuerit· sed an
tea a romanis obsessa est q̄m se ipa cog
nosceret· Sola oīum prouinciarꝝ vires
suas postq̄ victa est intellexit· In hac q̄ʒ
ꝓpe per ducentos annos dimicatū est a
primis scipionibus in cesarē augustum
nō cōtinue nec coherentᷓ· sʒ ꝓut cause la
cessierāt· nec cū hispanis inicio sed cū pe
nis in hispania· Inde contagio et series
causaqʒ bellorū· Prima ꝑ pyreneū iugū
sigᷓ rōna publiꝰ et gneꝰ scipioēs ītulerēt
ꝑlijsqʒ īgētibʒ hānonē et hasdrubalem
frēʒ hānibal cecidērt Raptaqʒ erat ipetu
hispania nisi fortissimi viri in ipa victori
a sua oppressi punica fraude cecidissent·

terra mariqz victores. Igitur quasi no
uam integrāqz prouinciā vltor patris
et patrui scipio ille mox africanus inua
sit. Isqz statim capta cartagine et alijs
vrbibus non contentus penos expulisse
stipendiariā nobis vrbem fecit. Omnem
citra vltraqz hiberū subiecit imperio. pri
musqz romanoꝝ ducū victor ad gades
et occeani ora puenit. Prouinciā plus ē
retinere ꝙ̄ facere. Itaqz per partes iam
huc iam illuc missi duces qui ferocissiās
et ad id temporis liberas gentes. impaci
entes iugi. multo labore nec incruentis
certaminibz seruire docuerūt. Cato ille
censori9 celtiberos id ē robur hispanie
aliquot prelijs fregit. Graccus pater il
le graccorū eosdē centū et 70 vrbiū euersi
one mulctauit. Metellus ille qui ex ma
cedonia cognomē meruerat. et celtiberi9
filius cū cetrebiā memorabili cepisset
exemplo. et nertsobriges maiore gloria
pperciit. Lucullus turdulos atqz vacce
os de quibus scipio ille posterior singula
ri certamine cum rex fuisset prouocatus
opima rettulerat. Decimus brutus ali
quanto lacius celticos lusitanosqz et om
nes gallicie ppl̄os. formidatūqz militibz
flumen obliuionis. peragratoqz victor
occeani litore. nō prius signa conuertit
ꝙ̄ cadentē in maria solem. obrutumqz a
quis ignē non sine quodā sacrilegij me
tu et horrore deprehendit. Sed tota cer
taminum moles cum lusitanis fuit et
numantinis. nec inmerito. Quippe solis
gentiū hispanie duces cōtigerunt. Fuis
set et cū omnibz celtiberis nisi dux illius
motus in inicio belli oppressus esset. Sū
mus vir astu et audacia si recessisset so
londicus. qui hastā argenteam quatiēs
velut celo missam vaticināti similis. om
niū in se mentes cōuerterat. Sed cū pari
temeritate sub nocte castra cōsulis adis
set iuxta tētoriū ipm pilo vigilis excep
tus est. Ceterū lusitanos viriatus erex
it. vir calliditatis acerrime. qui ex vena
torē latro. ex latrone subito dux atqz im

pator. et si fortuna cessisset hispanie ro
mulus. nō cōtentus libertatē suoꝝ defen
dere p xiiij annos. oīa citra vltraqz hibe
rū et agrū igne ferroqz populat9. castra
etiā ptorioꝝ psidiū aggressus. claudiū
vnimanū pene ad internitionē exercitus
cecidisset. insignita trabeis et fascibus
nostris que ceperat in mōtibus suis tro
phea fixisset. Tandē etiā fabius maxi9
cōsul oppressit. Sed a successorē popilio
violata victoria ē. Quippe qui cōficiende
rei cupidus. fractū ducē et extrema dedi
tionis agitātē. p fraudē et insidias et do
mesticos percussores aggressus. hanc ho
sti gloriā dedit vt videretur aliter vinci
non potuisse. XVII

N Vmancia quantum cartaginis. ca
pue. corithi opibus inferior ita vir
tutis nomine et honore par oibz. sūmū
qz si vires extimes hispanie decus. Quip
pe que sine muro sine turribus modice
edito in tumulo apud flumen sublata.
quatuor milibz celtiberoꝝ. xo. exercitum
per annos xiiij. sola sustinuit. Nec susti
nuit modo sed seui9 aliquāto pculit. pu
dendisqz federibz affecit. nouissime cum
inuictam esse constaret. opus q̊z eo fuit
qui cartaginē euerterat. Non temere si
fatei licet vllius causa belli iniustior. Se
gidēses socios et cōsanguineos. romano
rū manibus elapsos exceperūt. Habita
p eis depcatō nichil valuit. Cū se ab oī
bellorū cōtagiōe remouerēt in legittimi
federis pciū iussi arma deponere. hoc sic
a barbaris acceptū quasi man9 absciderent
Itaqz stati megara victo fortissimo
ducē ad arma conūsi. pōpeiū prelio ag
gressi. fedus tū maluerūt cum debellare
potuissent. Hostiliū deinde mācinū. hunc
q̊z assiduis cedibus ita subegerūt. vt ne
oculos quidē aut vocē numātini viri q̊s
ꝙ̄ sustineret. Tamē cū hoc quoqz fedus
maluere. cōtēti armoꝝ manubijs. cū ad
internicōnē seuiē potuissēt. Sed non mi
nus numātini ꝙ̄ caudini illi9 federis fla
grās ignominia ac pudore ppli romani.

dedecus quidem ꝑsentis flagicij dedicõne
mancini expiauit. Ceterū duce scipione
cartaginis incēdijs ad excidia vrbiū im
buto. tandē eciā in vlcõnē excāduit. Sed
tūc acri9 in castris ꝙ̄ in cāpo. nrō cū mi
lite ꝙ̄ cū numātio ꝑliandū fuit. Quippe
assiduis et iniustis et seruilibꝫ maxime o
peribꝫ attriti. ferre pleni9 vallū qui ar
ma nescirēt. luto iquinari qui sanguine
nollēt iubebant. Ad hec scorta. calones
sarcine nisi ad vsū necessaria āputātur
Tanti esse exercitū quanti impatorē iud
ꝓditū ē. Hic redacto ī disciplinā milite
cõmissa acies. quodqꝫ nemo visurū se vn
ꝙ̄ sperauerat factū ē. vt fugiētes numā
tinos quisꝙ̄ videret. Dedere eciā se vole
bant. si toleranda viris imparent. Sed
cū scipio veram vellet et sine excepcione
victoriā. eo necessitatū cõpulsi primū. vt
destinata morte in preliū ruerēt. cū se ꝑ
us epulis quasi inferijs impleuissēt. car
nis semicrude et celie. sic vocant idigenā
ex frumēto pocionē. Intellectū ab impera
tore cõsiliū Itaqꝫ nõ ē ꝑmissa pugna pe
rituris. cū fossa atqꝫ lorica quatuorqꝫ ca
stris circūdatos. fames premēt. ab du
ce orātes ꝑliū. vt tanq̄m viros occideret
Sed vbi nõ impetrabant placuit erupci
o. Hic conserta maū plurimi occīsi et cū
vrgeret fames. aliquātisper inde vixerē
Nouissime consiliū fuge sedit. Sed hoc
quobꝫ ruptis equorū āngulis ademere
vxores sūmo scelere per amorem. Itaqꝫ
deplorato exitu in vltimam rabiem furo
remqꝫ conuersi. postremo mori hoc gens
re destinarunt. Duces suos seqꝫ patriā
qꝫ ferro et veneno subiectoqꝫ vndiqꝫ ig
ne peremerūnt. Macte esse fortissimam a
meo iudicio beatissimā in malis ipsis ci
uitatem asseruit. cum fide socios. populū
orbis terrarum viribus fultum. sua ma
nu etate tam longa sustinuit. Nouissiē
maximo duce oppressa ciuitas. nullum
de se gaudium hosti reliquit. Vnus em̄
vir numātin9 nõ fuit q̄ ī catheīs ducēt
Preda vt de pauperibꝫ nulla. arma ipsi

cremauerūt. Triūph9 fuit tātū de noīe.
[H]actenus populus romanus pul xviii
cher egregius pius sanctus atqꝫ
magnificus. reliqua seculi vt grandia e
que. ita vel magis turbida et feda. crescē
tibus cū ipa magnitudine imperij vicijs
adeo ut si quis hanc terciā etatem trans
marinā. quā ducentorū annorū fecimus
diuidat. centū hos priores quibus afri
cam macedoniam siciliam hispaniā do
muit. aureos sicut poete canunt iure me
ritoqꝫ fateatur. Centū vero sequētes fer
reos plane et cruentos et si quid imma
nius. Quippe qui iugurtinis. cimbricis.
mitridaticis parthicis. bellis gallicis
atqꝫ germanicis. quibus celum ipsum
gloria ascendit. graccanasqꝫ drusianas
qꝫ cedes. ad hec seruilia bella miscuerūt
et ne quid turpidini desit gladiatoia De
niqꝫ in se ipse conuersus marianis atqꝫ
sillanis. nouissime pompei et cesaris q̄si
per rabiem et furorem. et nephas se met
ipe lacerauit. Que et si iuncta inter se
sint omnia atqꝫ confusa. tamen quo me
lius appareant simul. et ne scelera virtu
tibus obstrepant. separatim proferentē
Priusqꝫ vt cepimus iusta illa et pia cū
exteris gentibus bella memorabim9. vt
magnitudo crescētis in dies imperij ap
pareat. tum ad illa ciuium scelera tur
pesqꝫ et impias pugnas reuertemur
Liber tercius incipit. 1
[V]icta ad occasū hispania ꝓplūs
romanus ad orientē pacē age
bat. nec pacē mō ſꝫ inusitata et
incognita quadā felicitate relicte regijs
hēditatibꝫ opes. et tota isimul regna vei
ebāt. Attal9 rex pergamenoꝝ regis eu
menis filius. socij quõdā cõmilitonisqꝫ
nri testamētū reliq̄t ꝓplūs rõn9 bonorū
meorū heres esto. In bonis regis hec fu
erūt. Adita igit̄ hēditate ꝓuinciā ꝓplūs
romanus non quidem bello nec armis
sed quo est equius testamenti iure reti
nebat. Sꝫ hāc difficile dictu ē. vtrū facili
us amiserit an recuperauerit. Aristonicus

regij sanguinis s; tox iuuenis vrbes re gibus parere cōsuetas·parti facilē sol licitat·paucas r̄sistētes· mindon samon colophona vi recepit· Crassi quoqz pre toris cede exercitū ipmqz cepit· Sed ille memor familie et romani nominis custo dem sui barbaꝝ virgula exceat in exi cium sui quod volebat ita cōcitat· Mox a ꝑpenna domitius et captus·et per dedicio nem in vinculis habitus· Aquilius asia ticū belli reliquias cōfecit· mixtis·nefas· veneno fontibz ad dedicionē quarūdam vrbiū· Que res vt maturā ita infamē fe cit victoriā· Quippe cum contra fas deū moresqz maiorū medicaminibz ipuris ī id tps sacrosancta rōna arma violassz

Ec ad orientem·sed non ad meri dianam plagam eadē quies Quis speraret post cartaginē aliquod in afri ca bellū· Atqui nō leuiter se numida cō cussit· Et fuit in iugurta quod post ha nibalem timeretur · Quippe rex callidis simus· populū romanū armis inclitum et inuictū opibus aggressus est·et cōtra spem oīum fortūa gessit·vt rex fraude p̄ cipuus fraude caperet̄· Hic auo massinis sa·et maciṗsa prē ꝑ adopciōnē·cū inter ficere fratres statuissz· agitatus regni cupiditate· nec illos magis ꝙ̄ senatū po pulūqz romanū·quoꝝ in fide et clientela regnū erat·metueret· P̄mū scelus man dat insidijs·potitusqz hyempsalis capi te·cū se in adherbalem conuertisset isqz romā ꝓfugissz·missa ꝑ legatos pecunia traxit in sentēciā suā senatū Et hec fuit de nobis eius prima victoria· Missos de inde·qui regnū inter illū adherbalēqz diuiderēt·similiter aggressus cū in scau ro ipos rōni impꝫ mores expugnassz·in choatū nefas ꝑfecit audacius· Sed diu nō latēt scelera·corrupte nefas legacio nis erupit· Placuitqz bello ꝑsequi parri cidā· Prim9 in numidia calphurni9 be stia cōsul immitit̄·s; rex peri9 forci9 adū sus romanos aurꝝ eē ꝙ̄ ferꝝ·pacē emit· Cui9 flagicij re9 cū intuemēte publica fide a senatū accersiret̄·pari audacia a ve nit et cōpetitorē ipꝫ massinisse massiuā immisso ꝑcussoē cō fecit· Hec altera ꝯtra re gem fuit causa bellādi· Igit̄ sequēs vlcō mandat̄ albino· Sed hui9 q̊z proch dede cus ita corrupit exercitū·vt volūtaria no stroꝝ fuga vinceret numida·castrisqz potiret̄· Addito eciā turpi federe in ṗacū salutis qd pri9 emerat·dimisit exercitū· Eodē tp̄ore in vlcōnē nō tam ipꝫ roma ni ꝙ̄ pudoris metellus assurgit·qui cal lidissiē hostē nūc ṗabz n̄c minis n̄c simu lata iāqz vera fuga eludentē artibz suis aggressus ē·agroꝝ atqz vicoꝝ popula cione cōtentus·in ipa numidie capita im petū fecit· et camā quidē frustra diu volu it· Ceterū talā grauē armis thesauros qz regis diripuit· Tunc vrbibz exutū re gē et iā finiū suoꝝ regniqz fugitiuū per mauros atqz getuliā seq̄bat̄· Postremo mari9 auctis admodū copijs·cum ꝑ ob scuritatē gnis sui capite cēsos sacramē to adegisset·iam fusū et sauciū regē ad ortus·nō facilius tn̄ vicit q̄m integrū et recētē·qui et vrbē herculi conditam cap sam in media africa sitā anguibz hare nisqz vallatā mira quadā felicitate supe rauit·et saxā saxeo editā mōti mulucā vrbem ꝑ ligurē aditu arduo inaccessoqz penetrauit· Mox nō ipm modo s; bocum quoqz mauritanie regem iure sāguinis numidā vindicātē apud opidū cirtā gra uiter cecidit·qui vbi diffisus rebz suis aliene cladis accessio fieri timet·ṗaciū fe deris atqz amicicie regē facit· Hic frau dulētissim9 regū fraude soceri sui in insi dias deductus ē·et sille in manū tradit̄· Tandēqz optū catenis iugurtā in triūm pho ṗplūs romanus aspexit· Sed ille q̊ qz q̄uis vict9 et vict9 vidit vrbē·quā ve nalē et q̄nqz perituā si habuissz ēptorē frustra cecinerat· Nā vt venalis fuisset hūit emptorē·a cū ille nō euaserit·certū erit eam nō esse perituram.

Ic ad meridiem populus roman9 mlto atroci9 et mltiplicit̄ a magis

a septētrioē venientē nil hac plaga infe
stius. Atrox celum. perinde ingenio. Omni
igitur tractu violentus hostis a dextris
atqꝫ leuis et medio septētrionis erupit.
Prima trans alpes arma nostra sense
re salini. cum de incursionibus eorum fi
dissima atqꝫ amicissima ciuitas massi
lia quereretur. Allobroges deinde et al
uerni. cum aduersus eos similes e duo
rum querele opem et auxilium nostrum
flagitarēt. Varusqꝫ victoie testis. Ysau
ria et vindelicus amnes ⁊ impiger flumi
nū rhodanꝰ. maximꝰ barbaris terror
elephanti fuere īmanitati gentiū pares
nichil tam ꝯspicuū in triūpho ꝙ rex ipse
bis visus discoloribꝫ in armis argētea
qꝫ carpēto qualis pugnauerat. Vtrius
qꝫ victorie quod quātūqꝫ gaudiū fuerit
vel hinc extimari potest. ꝙ ⁊ domitiꝰ eno
bardus et fabius maximus. ipsis qui
bus dimicauerant in locis saxeas erex
ere turres. et desuper exornata armis
hostilibus trophea fixerunt. cum hic
mos inusitatus fuerit nostris. Nunqm
enim populus hostibus domitis victoriā
suam exprobrauit.

Cymbri theutoni atqꝫ tigurini ab
extremis gallie ꝓfugi. cū terras
eoꝝ inundasset occeanus. nouas sedes
toto orbe querebāt. exclusiqꝫ gallia ⁊ hi
spania cū in ytaliā remigarēt misere le
gatos in castra sillani. Inde ad senatum
petētes et marcius populus aliquid sibi
terre daret. quasi stipēdiū. Ceteꝝ vt vel
let manibꝫ suis atqꝫ armis vteret. Sꝫ
quas daēt terras ꝓplūs romanꝰ agra
rijs legibꝫ inter se dimicaturus. Repulsi
igit̄ quod nequiuerāt ꝑcibꝫ. armis pete
re cōstituūt. Sed nec ꝑmū quidē impetū
barbaroꝝ sillanus. nec scdm manilius.
nec terciū cepio sustinere potuerūt. Oēs
fugati. exuti castris. Actū erat nisi mari
us illi seculo cōtigisset. Ille quoqꝫ nō au
sus cōgredi statī militē tenuit ī castris
donec inuicta illa rabies et impetus quē
pro virtute barbari habent cōsenesceret

Recessere igitur increpantes ⁊ tāntā e
rat capiende vrbis fiducia. consulentes
si quid ad vxores suas mandarēt. Nec
segnius ꝙ minati fuerant tripartito ag
mine per alpes id est claustra italie fere
bant̄. Marius mira statī velocitate occu
patis cōpendijs ꝑuenit hostē. prioresqꝫ
theutonas sub ipsis alpium radicibus
assecutus in loco quē aquas sextias vo
cant. qua fide numinū prelio oppressit.
Vallem fluuiūqꝫ mediū hostes tenebāt.
nostris aquarū nulla copia. Consulto
ne id egerit imꝑator an errorē in cōsiliū
verterit. dubium. Certe necessitate acta
virtus. causa victorie fuit. Nam flagitā
te aquā exercitu. viri inquit estis. en il
lic habetis. Itaqꝫ tanto ardore pugnatū
est eaqꝫ cedes hostiū fuit. vt victor rōnꝰ
de cruento flumine nō plus aque biberit
ꝙm sanguinis barbarorū. Certe rex ip
se teutobocus quaternos senosqꝫ equos
transsilire solitus. vix vnū cum fugeret
ascendit. proximoqꝫ in saltu comprehē
sus insigne spectaculum triumphi fuit.
Quippe vir proceritatis eximie inter tro
phea sua eminebat. Sublatis funditꝰ
theutonis in cimbros conuertit̄. Hic iā
quis crederet per hiemem que altius al
pes leuat tridentinis iugis in italiā pro
uoluti ruina descenderant ad hostes in flu
mē. non ponte nec nauibus sed quadam
stoliditate barbarica primum corporibꝫ
aggressi. Postꝙ retinere amnem mani
bus et clipeis frustra temptauerant. in
gesta obrutū silua transiliere. et si statī
infesto agmine vrbem petissent. grande
discrimen esset. Sed in venecia quo fere
tractu italia mollissima est. ipsa soli celi
qꝫ clementia robur elanguit. Ad hec pa
nis vsu carnisqꝫ cocte et dulcedine vini
